



**BREVIS REGVLA
RVM ALGEBRAE DESCRIPTIO, VNA
CVM DEMONSTRATIONIBVS GEOMETRICIS,
AVTORE IOANNE SCHEVBELIO.**



VVM, ut in absolutis numeris naturali quodam ordine maior sequitur minorem, ita quoque in denominatis proportione aliqua (quorum computationem hoc libro explicare institui) fieri consentaneum sit: primùm ostendam quæ uocabula & signa, & qui ordo talium numerorum, deinde quæ & cuiusmodi sint regulæ Algebrae, rationum ualde artificiosarum, planum facere, ac quoad eius fieri potest, breuissimè & perspicuè docere aggrediar. Porro harum regularum inuentionem ascribunt Diophanto Græco scriptori, qui, ut autor est Regiomontanus in præfatione Alphragani, libris tredecim eas descripsit, atque ut Latini REI ET CENSVS sit Arabes regulas illas uocabulo suo appellare solent ALGEBRAS, id quod obiter indicandum erat.

NUMERATIO. CAPVT I.



Characteres uocabulorum seu appellationum, quibus in his regulis numeri naturali quodam ordine proportionis denominantur, sunt, $\vartheta, 2\varrho, 3, \mathfrak{c}, 33, 13, 3\mathfrak{c}, b13, 333, \mathfrak{c}\mathfrak{c}, 313, T13, 33\mathfrak{c}, \& \mathfrak{c}$.
Signa præterea, $+$ & $-$

CHARACTERVM EXPLICATIO.

ϑ . Primus character, habet appellationem numeri, sic, ut cuiuscumque numero appositus sit, pro simplici is habeatur. Vt 4ϑ , appposito characterè ϑ , sic, 4ϑ , effertur quatuor numeri, hoc est, quatuor unitates simplices. Ac præterea $13\vartheta, 49\vartheta, 486\vartheta$, tredecim, quadraginta nouem, quadringenta & octoginta sex, item ceteri numeri, unitates simplices significabunt.

2ϱ . Secundus ordine character, appellationem habet Radicis uel Rei, sic, ut cui numero appositus sit, hac ille appellatione exprimat. Vt 42ϱ , denotant quatuor radices uel res. Sic 82ϱ , sunt & exprimuntur octo radices.

3 . Tertius character, appellationem obtinet Censur uel Quadrati, sic, ut numerus cui sit ascriptus talis character, hac appellatione appelletur. Vt 43 , exprimuntur quatuor censur uel quadrati. Sic 73 , sunt octoginta septem censur uel quadrati.

\mathfrak{c} . Quartus character, repræsentat nobis numerum cubicum, sic, ut numerus hac nota insignitus, cubi appellationem habeat. Vt $4\mathfrak{c}$, exprimuntur quatuor cubi. Sic $49\mathfrak{c}$, sunt quadraginta nouem cubi. Haud longè secus exprimendos reliquos characteres, si quibus erunt adiuncti numeris, censendum. Quare eorum tantum appellationibus, quid nimirum singuli significant, figura quadam repræsentatis, uideinde aut significatione signorum $+$ & $-$ expressa, quorum nimirum illud, Plus & additionem: hoc uerò, Minus & diminutionem significet, quod ad numerationis descriptionem attinet, per hæc quæ hoc loco proponuntur, nunc satis manifestum erit.